

terest, & eas, quæ communes appellari solent, notiones defendi asservarique, (quorum organicus in sacro studio est usus,) & extra dubium poni, quod cognosci Deo volente ab homine quædam possint, ad quæ sensus & reflexio ista stricte accepta nihil conferant.

PRÆNOTIO VI.

DUcit nos ipsa rerum series ad maxime necessariam hanc Prænotationem, *dari notiones communes*, in qua, (si alteram illam, ad nos æque non spectantem addas, dari videlicet notiones irresolubiles & primas, & in utrisque æternam constantiam observari) nervi atque artus veritatis versantur. *Κοινὰς ἰννοίας* dudum agnovere veteres, sed Sceptica gens nunquam non illis contradixit. Nostra ætate Hobbefius cum suis omni conatu illis se opposuit; & Cartesiani visi quidem sunt earundem suscipere defensionem, sed re ipsa non levem illis stragem intulerunt. Præ ceteris vero Io. Lockius aciem contra eas instruxit, integro nempe *libro de Intellectu humano* hac de causa scripto, ut evinceret, communes notiones chimæram esse, e Scholis ingeniiisque nostris relegandam; quod cum primis vero *Lib. I. cap. II. III. IV.* agit. Præterea P. Bælius, *Tom. II. Respons. p. 372. 390.* & universalitatem quarundam notionum negavit & impressionem natura factam, imo sapienti mechanismo eas tribuit, *p. 392.*

II.A.